

IOANNI MICHAELI,

MEDICO,

SPONSO,

PAULLUS FLEMMINGIUS

D. C. Q.



Edio luctui lætum quid derepentè superveni-
re, ab hac rerum vicissitudine momentaneâ de-
pendet. in quod argutè poëtatur Sarbievius
meus:

Alternò redeunt chorò

Risus & Gemitus, & madidis propè

Sicci cum Lacrymis Foci.

Nascuntur medijs Gaudia Luctibus.

Sic fati placitum, suis

Tempestiva fluunt fata periculis.

Mensis est, cum naturæ debitum exsolvebat GEOR-
GIUS GLOGERUS, homo citra simulationem mihi
amicissimus. quod cum qua animi mei convulsione,
quantâq; fælicitatis jacturâ factum sit, nemo per-
sentit, ac, qui naufragatus sum, ego. Ex amore & æstimatio-
ne amissi grandescit dolor; dilectionisq; generositas
desiderij vehementiam intendit. Amicitia & neces-
situdinis nostræ perfectionem non tango, quam tot

A 2

publi.



publica exercitia commendant, tot Alba loquuntur,
tot amicorum suffragia deprædicant, & quam adhuc
juxta suspiria mirantur, qui nôrunt illum Sileñum, &
me. Genii utrimq; nostri testimonia, sed illa Phœbi
Apollinis & Gratiarum, quæ illud

— — *fœcundum pectus amoris*

singulis fermè horis, ex debito quasi, ab illis exigebat,
scrinia nostra pulsant, — & vincula mordent. Quòd
si noster Amor hucusq; intra privatos parietes latuit,
perq; publicum conspici nimis, quod fieri solet, vere-
cundatus est; faciam, ut qui paucis hæctenus, & per
transennam, apparuit, jam cum animo liber, Orbem
literarium nudus, ceu solet Veneris ille Puer, ineat, seq;
videndum cuiq; exhibeat.

Dumq; sic super Defuncto & me fleo, de Nuptiis
tuis cogito, mi Sponse, hoc est, mœstus de lætis. Quid
facerem? joculari solebam interdum, vivente adhuc,
meâ & suaviorum hominum *SUA VITATE*, animoq;
levando poemata quædam amatoria ludebam, sed ca-
sta, & non nisi quæ Gratijs probarentur. Scimus namq;
quod Germanæ Poësis Maro ait, Deum illum inge-
niorum quasi cotem esse, quò sensus stringere & acue-
re possumus, & res vitii expers est. Equidem, inquit
judiciosissimus Heinsius, quemadmodum in vita num-
quam mihi placuit Philosophus, qui numquam risit:
ita

ita in scriptis eos probe, qui cum Musis Gratias con-
jungunt, & lepores salvâ verecundiâ, venustatem citra
obscœnitatem amant. Amare simulamus propter fa-
talē illius Dei vim, quâ vel solâ cogitatione vegetiores
animos reddit, & ad motus diviniore animat. Tum
neq; de titulo, neq; de Patrôno quicquam constabat.
Jamq; & ipse monebas de Carmine. Ex eo Lusus illos
meos liberales tibi nuncupare apud animum consti-
tuebam, eosq; SUAVIORUM nomine, ex factis sum-
morum Poëtarum, SECUNDI, DOUZE, LERNUTII,
insignire velle definebam. Sed tum nimis pauca e-
rant. Mox de augendo eorum numero sollicitus, plu-
ria addebam, sed quæ meam ægrimoniam sapiunt.
Tu, & similes, id est, docti facilè internoscetis Musæ
meæ foetus, quâ quiq; constellatione & conceptus &
partus sit. qui ingenii magis vobis videbuntur, eos
primam tempestatem tulisse ex re augurabimini.
Interea in seculum prodeuntes moestus parens sic al-
loquor :

SUAVIA, delities ludentis festa Thaleja,
Et otiantis Ingeni lenis jocus,
Dum nimis audaci gestitis vadere plantâ,
Ævi patentis ituritari domos,
Non metus intuti est per tot vada lubrica callis?
Vestri comes non it Favonij lepor.

A 3

Sed



*Sed modò tam blandum mutâritis, Aurea, nomen,
Dum SUAVITATIS SUAVITAS vestrae perit.*

Hisq; benè nube, mi Amice, & hunc favorem mihi
perenna. Dab. Lipsiæ, prid. Eidus Novembres, Anno
Christiano clò lò c xxxi.



S U O

F L E M M I N G I O.

O Scular Ingenium, tua SUAVIA basio, PAULLE,
Queis Tibi concilias oculos, os, labra, medullam.
Ipse mihi Nympha es, mea Phyllis, Amorq;: quid ergò
Defit letitia? præstò mihi Phyllis & Ignis.
Quando mihi laquei veniunt, & tormina, Cura,
Mollificantis habent emplastri Suavia vires.
Quando venit Livor, stimulat dentatus & ausus,
Oppono stimulis tua Suavia, frango, retundo.
Non mihi Dianam, palpari munere suetam,
Optarem præ Te, fucò minioq; rubentem.
Usq; adeò magna est nostri discretio Amoris.
Castus amor nostri, sacer est, ex asse pudicus.
Illatebratus enim venit de Carmine primùm,
Quod, simul ut legi, membris infudit Amorem.
Nescio, quàm dignè, si furem dixerò Talem.

Inde

Inde tui totus nunc glisco incensus amore;
Nec mihi vitalis sine te, ò mea gaudia! vita.
Vive meum robur, decus, Et disjungere numquam.
Suaviar, amplectar, venerar te, marmoreumq;
Efficiam, Ipse meis licet ossibus osseus instes.
Sufficit hac animo, curis Pictura meisq;.
Ast simulacrum Aliis nitido de marmore ponam.
Sed quid picturas meditor? vel quid simulacrum?
Ipse MEUS FLEMMING se est impressurus in auras,
Queis dabit in solido cunctis sese orbe videndum.

JOHAN-NICOLAUS THOMINGIUS D.

HPO;

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑΤΙΚΟΝ.

Ταῦτα σοι, ὦ Κυθήρια, φέρω σοὶ ταῦτα τιθῆμι,
Μητέρα ὦ γλυκερὸν παιδάριον γλυκερῆς.
αἰδι ὑμῶν ἅ φιλήματα πρῶτα διδάσκετε ἡμᾶς,
πρὸς κυρίας ἰδίως ἔργεται αὐτομάτως.

A L L O C U T O R I U M.

Illa fero, Cythera, tibi, tibi consecroq; illa,
O dulcis Matris Pusio dulciculæ.
Antea quæ nobis docuistis, S u a v i a, tandem
Ad Dominos redeunt sponte suapte suos.

P. F.

DEDI.

DEDICATIO.

Dum teretes alij lassatō pumice versus
 In thalamum nitidant, Optime JANE, tuum,
 Nos juvat ad parvi non grandia litora Plissæ
 Tertres in lusus sollicitare Deas.
 Si placet, & juvenes Tibi non spernuntur Amores,
 Huc ades ad facilis pignia prompta Lyræ.
 Non decet in leni re grandes esse Poëtas.
 Et sua magniloquus fata cothurnus habet.
 Horrida fulmineis jactantur classica verbis,
 Acer & elogium grande Gradivus amat.
 Non sic blanda Venus, cui rident lenia quæq;
 Grandisonum curat nil levicellus Amor.
 Mollianos humili quatinus proscenia foccō.
 Luxuriant agili SUAVIA nostra pede.
 Non crepat, aut trepidat nostrâ vicinia calce.
 Sed placet in tenui molliter ire viâ.
 Qualis Amans graditur, forsan cū nocte silenti
 Cernitur ad charas talipedare fores.
 Scilicet absconsis constant Aphrodyfia sacris.
 Non nisi per tacitum discupit Ida coli.
 Heic teneri Lusus, & circum frondea mille
 Tempa Joci mollis ædituentur Heræ.
 Lætitiæ favet ipse Polus, favet Aura lepori.
 Garrit & in plausus lætior unda novos.
 Heic ubi Varisco se plissa maritat Elistræ,
 Exsiliunt pactō federe Naiades.
 Arrident clarum Satyri de monte Napæis,
 Jacchat & in multa Faunus Hamadryade.

B

Ipsa

Ipsa per humentes Cytisos, & roscida multum
Gramina cum pueris dissilit Ida Deis,
Huc quoq; pulchripedes numero venere Novena;
Personat hic resonum Pegasis unda nemus,
Quæq; suos doctò vibrat pollice nervos,
Pars palpant aures illice voce leves.
Ipseq; flavicomus, tam belli præsul honoris,
Umbratus festâ fronde, Choragus adest.
Dijs scatet omne solum. nil non lætabile cernes.
Indefiniti gaudia finis erunt.
Hic tuta sit tecum venturi temporis Uxor,
Cui dant purpureum nomen habere genæ.
Me ducto re. potes tantis te sistere Festis.
Cujusvis non est hunc reperire Larem.
Ipsa locum cedit vobis Amathuntia primum,
Bisgeminumq; Venus cinget utrimq; latus.
Hic mera quæ vestris sacravi Suavia tædis,
Sæpius alternò pangere jure licet.
Suavia, quæ lepidis non sunt incognita Divis,
Quæq; tuæ nosti crebra dedisse Dex.
Illa quidem renuit primis parere petitis,
Indigetum tantò territa facta chorò.
Sæpè tegit positâ pudibundum syndone vultum,
Sæpè parat celeres, sed sine Marte, fugas.
Genticus hic mos est illarum, nolle videri
Se comptis minimùm posse favore procis,
Cum tamen his tacitè non gratior altera turba.
Oh! nimium fallax est muliebre secus!
Ast postquam in Divis mage nil commune videbit,
Quàm dare conjunctis mutua labra labris,

Mite

Mitescet; faciliq; fide se passa teneri
Dividet invitò basia valga labro.
Post ubi nectareis sensus devincta salivis
Coepit in ambrosiam largior esse dapem,
Mox streperis stridet vocalia suavia labris,
Omni bus & clarò dimicat ore Deis.
Ipsa sui prodit formosos pectoris ignes,
Alitibus latè fulgida luminibus.
Ignea flammantes imitantur labra pyropos.
Hæc testamentum cordis amantis habent.
Quos non blanda jocos, quæ non colludia fingit.
Et nudata finit pectora dente teri.
Emicat ex totò non spreta protervia vultu,
Qualis amorosæ Cypridis esse solet.
Qualis erat nitidæ facies nativa Neæræ,
Barthij ut à collo lene pependit onus.
Tu quoq; nil parcente dabis, quod circumit, ore,
Quò nil virginibus gratius esse solet.
Quod Pater omnipotens sociæ dedit ipse Sorori,
Quodq; dedit Ledæ gratus adulter Olor.
Dumq; meæ vobis sic præcino suavia Cleiûs,
Exprime suaviolis singula verba tuis.
Fortè sed ignotæ potuit tædere loquelæ;
Ast interpretibus omne age basiolis.
Sic sua Lernutius dissolvit basia Hyellæ:
Sic capit Heinsiadæ suavia Rosæ sui.
Sic blandi gratum vobis ridere Lepores
Incipient, nitidi cum salibusq; Joci.
Ipsa favet molli vobis Cytherèia linguâ;
Scilicet eloquiò non gravis illa Dea est.

Exemplò tunc disce tuò, quàm libera res sit
Sera cupidineo subdere colla iugo.
Servitium dominari hìc est: hec sudditus esse
Est libertate perpetuante frui.
Ergò opus aggredimur. linguis animisq; favete,
Vestrum erit auditis stare, præire meum.
Mascula successum jam spondent ordia certum,
Nec poterit charæ poenituisse rei.
Per mea sic vestræ splendent Suavia tædæ,
Donec erunt tædæ, Suavia donec erunt.

Ad Genium I. DOUZAE P.
I N V O C A T I O.

DOuza fave, seu te socium per odora Roseta,
Frigidaq; æternis tempe Pympleides umbris
Concomitantur Heræ; seu te Cythereia Mystam
Insinuat gavisâ suum, junctiq; Cachinni
Risibus Indigetem sacrò venerantur honore,
Cumq; Lepore Joci; seu de Jovis alma beatum
Aula tenet, latè & pictis epulâre diætis,
Ambrosio niveam roratus nectare barbam;
Si votis non dura tuis tibi favit amanti
Ore Rosillâ suò, pandis & basia labris,
Basia perpetuis tibi rumificata Camenis,
Larga dedit, potes & tanti meminisse favoris,
Douza fave, facilisq; meis illabere votis,
Dum te per nostros instauraturus amores
Lenia blandicrepis delumbo Suavia plectris,
Ingenij ludentis opus. te qualibus olim
Virgineó lusisse choro, bisidòq; Novenas

Novi

Novimus ex Helicone Deas traxisse, Puellæ
In laudes certare tuæ, si quando procanti
Udula nectareis panxisset basia labris,
Federis haut oblita sui. Sic Jupiter ipse,
Omni poli sic vulgus amat. sic quisq; Deorum
Æternas lambit per jugia suavia dextras.
Non aliter complexa suum sub nocte tacenti
Æneadum genitrix tractavit cæsia Marrem.
Non aliter Thaidem juvenis Pellæus amatam.
Non aliter Dominæ cupiunt placuisse Poëtis.
Henisiadi sic Rossa favet. sic Barbara mollis
Barlæum veneratur Herum. sic compta perennem
Asterie capit Opitium. sic Belga Neæra,
Insigni favitura proco, sufflamen amoris,
Flammea pandebat populari labra Secundo,
Officij studiosa fui. Te, Douza, Secundus,
Te Genium poscente suum, his adjuvit in ausis,
Quum tua, quum Dominæ mellita patrata Rosillæ
Victuris memori mandares pollice chartis.
Me bone Douza juva. parili percellor ab æstrô,
Et verum simulo, ficta scripturus, Amorem,
Non mea amatrices udârunt labra salivæ,
Virginis atq; rudés mecum circumfero malas.
Intentata cano; sed non ignota Poëtis,
Quos amat ales Amor. primis quibus indere cunis
Non vulgata solet: sed opinio fingere Amorem
Me jubet innocuum. faciles da posse facietis
Ingenuis miscere jocos. jucunda papyrus,
Non lasciva fiet. primô fac spiret ab orsu
Larga Venus, & multus Amor, plausosq; sonores

Tempera in egregium vocali pectine carmen.
Tu sacri teneros Juvenis moderabere lusus,
Dux operæ, Douza une, meæ. te præside nostrum
Surget opus, meritamq; ferent mea pignia palmam.

F A B U L A

S U A V I O R U M.

IBat Acidalium spatium Cypris in hortum,
Tempore, quò variò germine vernat humus.
Floriparis gratum Zephyris levis Aura temebat,
Et Phaëthon sudum jusserat ire diem.
Convolutant circum volucres, nana agmina, Divi,
Cunctaq; gens pictis est cataphracta sagis.
Pars strinxere leves per inania cœrula cannas.
Pars simulant fictis prælia vera jocis.
Et modò vocales geminant, ex more, cachinnos:
Moxvè strepunt mansis stridula verba labris.
Plurima pars latè diffusa per herbida tempe
Sauciat audaci pollice veris opes.
Hic venetum variò summat de flore quasillum,
Lilia cum niveis carpit hic alba rosis.
Hinc super expansum sternentes omne tapete
In medium Matrem Ver posuere Deam.
Risit, & ingenuo tumultata Cytheris odore,
Convenit hic nobis, Pignora, dixit, honor.
Albividam nitidolibabat fortè Rosellam
Nare Venus. (rubras nullus alebat ager.)
Hanc Dea cauta parum primori dente remordens
Fatalem tepido flabat ab ore sonum.

En!

En! rosa suavicepō totum caput alba susurrō
 Purpurat, atq; ruber mox alabastrus erat.
 Quod Cypris mirata iterumq; iterumq; recentat
 Leniter admorsis sibila blanda rosis.
 Erubuere omnes, juvenes hoc tale videntes
 Stant Dei, in Idalias æmulaturba technas.
 Evolitant, similiq; modo sub vepre sepultas
 Inficiunt jugi hinc inde rubore rosas.
 Hinc rubræ cœpère rosæ, sic conscia facti
 Nil nisi sanguineum spina notata tulit.
 At Dea mirificos æternò nomine lusus,
 Quod meruit facinus, perpetuare volens,
 Suave Rosa est, suave ejus odor; jam suavior illa est;
 Vos, quæ fecistis; S U A V I A fitis, ait.
 Sic inter suaves sunt edita Suavia lusus.
 Hactenus ignotum Suavia nomen erant.
 Hæc Juvenes docuere Dei, quum mellea pangunt
 Virgineis tacito Suavia dente genis,
 Bacteolæ, pudibunda rubent citò ceu Rosa, malæ.
 Suavia næ præter suavia nulla fœvent.
 Post, sua per totum narrabat pœgnia cœlum,
 Cum pueris epulans Ida Cupridinibus.

S U A V I U M I.

S U A V I A, nectareis mulcentia sensa susurris,
 Fige mihi labijs millia dena tuis.
 Basia mellitis dulcantia corda salivis
 Tot tibi, quod mihi das, plura bisq; dabo.

Atq;

Atq; alternantes bellis longò agmine bella
Suavia basiolis, basia suaviolis,
Confudisse juvat numerum. sic lusibus istis
Deficient cunctis millia myriadibus.

S U A V I U M I I.

Dimicemus, O R U B E L L A, dimicemus osculis.
Atq; rem linguis gerentes combinemus halitus.
Morsicationibusq; vinulis, venustulis,
Labra nostra vellicemus, & premamus invicem.
Quale turtur os marita mormolyssans circumit,
Dimicemus, dimicemus basiationibus;
Nec pili, quid hic, quid iste, quid vel ille garriat,
Æstimemus. bellis omnes æstimemus unius.
Dimicemus, O R U B E L L A, dimicemus osculis.

S U A V I U M I I I.

Labra tuis quoties mea glutino, V I T A, labellis,
Deficis in partes ipsa, nec ipse meas,
Clam mihi surripior. fixisq; amplexibus hærens
Sentio me sensim dememinisse mei.
Exspiro lentus, mentemq; trahens hic paullatim —
— Immiscet vestris halitus halitulis.
Concido solvanimã sic tandem morte peremptus.
Nec tamen in lapsu vellor ab ore tuo.
Tale videns, animam prius imbibitam, ocyùs efflas.
Suscitatur extinctum nobilis aura precum.
Inde revivisco. tamen haut mea sola redivit
Mens animi. mistam hanc arbitror esse tuã.

Lan.

Languo dimidius, semissi corde valesco.
Et sine te benè me totus habere vetor.
Suffice, quæ tua sunt, in me, M E A V I T A, tuumq;
Esse decus reputa, quæso, valere meum.
Me tepidis suffige labris; tibi calda repandam.
Jugibus hinc ambo vivimus halitibus.

S U A V I U M I V.

E Natatilibus tuis ocellis
Gliscit larga, R U B E L L A, larga flamma,
Quâq; fortior acriorq; flammâ,
Hæc fibras mihi cordis urit imas,
Emedullat & ossium cavernas.
Sed malum poteris cavere tantum.
Illos da geminos tuos ocellos,
Illos flammivibros tuos ocellos,
Rigem suaviolis frequenter udis.

S U A V I U M V.

SUave, R U B E L L A, rubes malas, & suave labella.
Erubet Idalias illa nitela rosas.
Qualiter è pictô lucet Matuta cadurco,
Talises in mundo, bella R U B E L L A, tuo.
Mox Rosa marcescet. rarò est Aurora bihoris.
Vtere, donec habes: sic tua forma perit.

S U A V I U M V I.

SI me, te quoties suaviabor,
Non voles iterum suaviari:

C

Si

Si me, te quoties mihi applicabo,
Non voles iterum tibi applicare,
Non RUBELLA mihi, sed es REBELLIS.

S U A V I U M VII.

TE veneficij ream
Accuso, mea Lux, nam quoties tuos,
Halantes animam bonam,
Afflatus avidis haurio motibus,
An later magis, an gemam,
Captus vex animis nescio fascino,
Mox auræ rude cor novæ
Fatali insolitum suffilit impetu,
Et fervens subitam genas
Per pietas loquitur lætitiæ jecur;
Totò corpore ferreo,
Et pulsus positam fortiùs auctior
Tundit cum sonitu manum.
Est ignara sacri mens mea flaminis,
Admirata celerrimam,
Quantam vix licuit, ferre potentiam,
Ingenti quatitur metu,
Et contacta citò dux ratio rogò
Confusis hebet ordiis.
Hinc malas tremulus pallor obambulat,
Totus dissimilor mihi.
Quantum luctificis vagio planctibus!
Quantum lancino crinium!
Et pectus nocuâ pulso gemens manu!

Solum

Solum non miser enecor,

O tantæ, mea Lux, fons malehærentiæ!

Quæ sic immeritum feris?

Quæ sic innocuum discrucias caput,

Tantum non capitis rea?

Heus! aut perpetuis perpetuantibus

Auris da mihi suavium,

Aut à me penitus post tibi tempera.

S U A V I U M I I X.

Quæ vitam faciunt beatiorum,
Cuncta, cuncta latent tuo sub ore,

Ore, nectare dulciore dulci,

Cuncta, cuncta sub hoc latent, RUBELLA.

Cum me nexilibus recondis ulnis,

Et tenacibus implicas lacertis,

Fruor dimidiâ beatitate.

Ast cum Suavia, Suavia illa vestra,

Quovis melle mihi, favoq; quovis

Et mellita magis, magisq; grata,

Me fatalibus imbuunt salivis,

Et sufflant genialibus susurris,

Quam sum, Jupiter, in beatitate!

Non ipsam Indigetum beatitatem

Esse posse, reor, beatiorum

Illam, quam mihi dant beatitatem

Illa Suavia, Suavia illa vestra,

Quovis melle mihi, favoq; quovis

Et mellita magis beatitate,

Quam non Jupiter est beatus unus,

C 2

Qua

Quâ non Jupiter est beatus unus,
Quâ cunctiq; Dei, Deaq; cunctæ
Creduntur mage, quàm client beati.
Illa Suavia, Suavia illa sola,
Præ queis non cupiam beatus esse,
Vitam mi faciunt beatiorem.

S U A V I U M I X.

Mirari modò desine,
Quid tam continuus tua
Basiare labellula,
Osculûm catus belluo,
Optem, bella RUBELLA.
Numquam mellilegæ suam
Oderunt volucres Hyblam.
Arva nec streperis carent
Rorulenta cicadis.
Succofas juvenis caper
In dapem faliceis amat.
Et nanas capra vernula
Exalburnat olivas.
Altores animæ tuæ
Sunt, RUBELLA, meæ labra.
Non tu Suavia das mihi,
Sed necesse alimentum.

S U A V I U M X.

E F F I G I E S R U B B E L L Æ.

FAllor an? an Dominam? veram videone Rubellam?
Brutave perversum fallit imago procum?

Hoc

Hoc caput, hi crines, hæc frons, hæc tempora, nares,
Labra, genæ, mentum, brachia, colla, manus,
Omnia sunt Dominae. quin ipsa procatur amanti
Semper ad adspectus popula versa meos.
Semihulca rubris connivent oscula septis,
Suaviter admoto labra datura labro.
Fare, age. quid differs? quid stas? quid inanibus ausis
Tendis in amplexus brachia lenta meos?
Fare, age, seu Domina es, Dominae seu nobilis umbra,
Sed palpaturam diffugit umbra manum.
Non Domina es: non fando probas. nec sola tabella;
Nam vitam spirant os oculiq; meram.
Quicquid es, ô nimium nostræ res fascina mentis!
O nimis in sensus imperiosa meos!

S U A V I U M X I.

A D S T E L L A S.

DEi minores, aureum poli germen,
Jovis Quirites, lucis ignei fratres,
Umbrarum Alumni, noctis excubatores,
Ævi senentis temporumq; custodes,
Patentis impigri Notarij Mundi,
Summæq; digni curiæ Senatores,
Qui cum Parente temperatis ingenti
Volumen universitatis immensæ,
Rerumq; testes æqua jura libratæ.
Si quid beatum, conscii meæ fortis,
Vestri minantur non-malo mihi fasces,
Meumq; vellus Parca nevit haut dura,
Quid invidetis auream mihi Lunam,

C ;

Quam-

Quando volens mihi RUBELLA jungetur
Guberniones utriusq; Fortunæ,
Originis recordor ex bono vestræ.
Vide He n-
si fabul. Vos ipse festivus Cupido produxit,
Siderum. Quando feriret basiis Deas multis,
Nec computare, quod dedisset illorum
Valens, rei indices polo notas fixit.
Hinc vos rotantes exstitistis Empusæ.
Favete amanti, basiare nec sanum
Semper mihi negate, basiis Nati.

S U A V I U M XII.

S E R T U M.

Quod mihi virgineo digestum pollice sertum
Missiculas, teneri lene favoris opus,
Accepi, mea Lux. statem fragrabat & ambram,
Fluxit & Ambrosiô dulcior aura merô.
Scilicet hoc avidis admotô naribus, omnes
Ebibi inexpliciti ereber odoris opes.
Pura per adspersos rorabant Suavia flores,
Suavia, te socio digna datrice tuo.
Has festina sacras lingebat lingua salivas.
Suavia mille tuli, Suavia mille dedi.
Nil sapuisse magis, dico, quàm roscida mella:
Nil & odoratum flore fuisse minus.

S U A V I U M XIII.

Tot basiationes,
Quot Publio Corinna,

Quot

Quot Lesbie Catullo,
Messala quod Tibullo,
Næra quot Secundo,
Rosilla quot Douzæ,
Quot Margaris Mureto,
Quot Hebio Diona,
Quot Barthio Næra,
Rosina quot Melisso,
Propertio Licynna,
Harmosine Grutero,
Borbonio Rubella,
Blypurgio Rosalba,
Bathyllum Anacreonti,
Quot Anna dat Sabino,
Quot Tyndarisq; Flacco,
Lernutioq; Hyella,
Camilla quot Marullo,
Diana quot Gyrardo,
Leorina Buchanano,
Cotræq; quot Lycoris,
Lalage Schönhovioq;
Quot Heinsioq; Rossa,
Tot basiationes,
Tot una da mihi un
RUBELLA, Suaviatus,
Quin basiationes,
Quot à suis puellis
Cuncti petunt Poëtæ,
Cuncti ferunt Poëtæ;
Tot atq; Suaviatus

Quot

Quot à suis Poëtis
Cunctæ petunt Puellæ,
Cunctæ ferunt Puellæ,
Tot basiationes,
Tot una da mihi uni,
RUBELLA, suaviatus.
Nec tot, RUBELLA, solùm,
Quot quæq; dat Poëtis
Sibi Puella charis,
Mihi da suaviatus;
Nec tot, RUBELLA, solùm,
Quot quisq; dat Puellis
Sibi Poëta charis
Mihi da suaviatus;
Sed centies mihi da,
Ter centies, quaterq;
Plures, RUBELLA, cunctæ
Quàm dant suaviatus
Amasæ Poëtis;
Ter millies mihi da,
Sex millies mihi da
Plures, RUBELLA, cuncti
Quàm dant Suaviatus
Amasii Poëtæ.
Age sis, ut ex Puellis,
Ex omnibus Puellis,
Age sis, ut ex Poëtis,
Ex omnibus Poëtis,
Ipsis Suaviisq;
Depræliando victis,

Victis

Victis suaviando
Agamus ambo clarum,
RUBELLA, factriumfum.

S U A V I U M XIV.

Ex imitatione SCALIGERI P.

Quos mihi transmisit varios nullò ordine flores,
Perpetui indicium grande favoris erant.
Vidit in Idalijs carpentem Cypripot hortis,
Nec vetuit, Matrem dum putat esse suam.

S U A V I U M XV.

Non sic cruentis faucibus ictibus
Per tesqua, cautes, avia rupium,
Fatale Dycetamum doloris
Lenificum, tacitamq; curam
Cursurâ anhelat cervus in anxia;
Aut fulminator glandibus igneis
Ursus petitus, vulneri udum
Quæsitat inferuisse muscum:
Ut anxiosis adpropere tua
Suctum labella, Lux mea, nisibus,
Labella, quæ semper doloris
Sensit anodinon impotentis
Mens fracta curis, morbida mens tui
Vel tandem habendi. fat rigido datum,
Dedisce jam semel furorem.
Perdere servitiis paratum
Injuriosum est, quid juvat in meum
Ridere lethum? non metuis Deos!

D

Obfer.

Observat ultor omne cœlum,
Odit, & interimit superbos
Furente vindex igne Diespiter,
Molleſce, dura. non mage quod nefas
Adraſtiæ irritat flagrum, quàm
Supplicium miſerere nolle,
Ignolce furto, ſic puto, non malo.
Num bina tanti Suavia, quæ tibi
Non prorſus invitæ, labellô
Surripui benè temperatô,
Ut æviternes zelotypâ manu
Discordiarum in me jacules globos,
Solesq; tot crudâ miſellum
Bile plus caput immerentis.
Non imber æthram continuus nigrat,
Nec ſemper aureum Cynthius eſſedum
Fumante fuſcari vapore
Sivit. at expedit heic neceſſis
Viciffitudo. Frange vicem ſemel
Vobis moleſtam. Diſcute nubilæ
Fuligines mentis levatas,
Sudificumq; refer nitorem.
Mi Phœbe, luce. ô unica plus mihi,
Quàm Phœbus orbi. diffluo! diffluo!
Vel paullûm apricari tuorum
Me radiis ſine ocellulorum.
Agnosco crimen. deprecor ingenu,
RUBELLA, fuſus. parcere regium eſt.
Regina noſtræ ô una vitæ,
Deſine torvituentiarum.

En !

En mortuali tincta rubigine
Mihi ora live nt, ruga secat cutem.
Ut mortualis Larva oberro.
Intolerabile te carere.
Quid, lenta, tardas? non satis est moræ,
Movenda nullis nec prece, nec fide?
Queis februis es expianda,
Onimium! nimiumq; sæva.
Ah vultuosa, quid vitilitigas?
Me vel Themistâ judice libero,
Tantôq; plectendum vel umquam
Juro patrâsse nihil rigore.
Quod si sat infons non videor tibi,
Heus! esto Judex Æacus, ut voles,
Qui lite vix primùm relatâ
Me absoluet, tibi sed decentem
Pœnam irrogabit, quò mihi ter tria
Nolens volensvé Suavia pro meis
Statim rependas, sic rubebis
Ante tribunal Heri severum.
Sed, bella, nictas? sævus ero minus.
Mox ipse rixam, si pote, disrimam.
Cupido Judex, Testis, Aëtor
Sit, quid enim Rabulas moremur?
Non paret ullis Cypria legibus,
Nec è Rubricis verus Amor finit
Se judicare, damnet hic me,
Damnet, & ulterius fatiget
Me jure verso. pœna mihi placet.
Cedò labellum, Lux mea, blanditer,

D 2

Et

Et nexuosas colla circum
Stringe manus mea, more vincæ
Cauli procantis. tunc ego jus meum
Amitto lætus, si tibi Suavia
Nefrendibus subindelabris
Millia mille, RUBELLA, figam.

S U A V I U M XVI.

TOta, tota RUBELLA, tota pulcra est.
Omnes delicias lubentiasq;
Omnes blanditias facetiasq;
Queis rorat Cypris, & madent Amores,
Præstat una RUBELLA, præstat una.
Quicquid est Venerum Cupidinumq;
In toto Genio Catulliano;
Quicquid est Charitum Novensilumq;
In toto Genio Secundiano;
Illarum quid & est, quid est & harum
In toto Genio Douiziano,
Vincit una RUBELLA, vincit una.
Aspectus probat hoc, probantq; mores,
Et imbuta lepore lingua largô,
Præ qua non lepidus Lepor vocandus.
Hæc unô mihi fascinare verbô
Et potest animam, potest & aurem.
Quando gutture, differenti divum,
Blanditim fluidas amicat auras,
Non sic ætherium sonat melisma,
Cùm molleis Hecate vagans choréas
Leni digerit in meloda plantâ.
Non sunt bisgeminii illi ocelli ocelli,

Sed

Sed sunt uraminæ faces gemellæ,
Quæ vitam mihi dant, necantq; rursus.
Non sunt aureoli comæ capilli,
Sed sunt molliculæ comæ numellæ,
Quæis me dulcacidus Puer catenat.
Nec genæ geminæ genæ vocandæ,
Confusæ potiùs rosæ vocandæ,
Et divergia bina florifucca,
Quæ suâ alliciunt amœnitate
Mentes prætereuntium procorum.
Quin nec ista labella sunt labella,
Sed sunt propatulæ labella portæ,
Per quas extroït introïtq; rursus,
Transmissore corallino canali,
Flamen lene sùaveôlentis auræ,
Auræ messibus æmulæ Sabæis.
Quin nec turgidula illa sunt Papillæ,
Fastu tam nitidô sororiantes,
Sed sunt marmoreæ pilæ vocandæ,
Quæis pellax Amor inter osculandum
Jussit ludere pendulos amantes.
Illos lacteolas manus disertè
Tamos dixeris esse nexuofas,
Quæis, velut periclymenos columnas,
Circumnexat amantium lacertos.
Sed quid cuncta referre, cuncta pergam,
Cùm nec cuncta referre cuncta possim,
Nec ausim quoq; vulgitare cuncta.
Hæc externa fuere. sed quid intra?
Intus, intus habet Venus, quod opto,
Quod mecum teneri petunt amantes.

D 3

Præ

Præ queis extima nulla sunt putanda.
Pulchra & extus & intus est RUBELLA.
Tota, tota RUBELLA, tota pulchra est.

S U A V I U M XVII.

De RUBELLÆ effigie.

Quicquid ad externum potuit fecisse nitorem,
Parrhasiana tibi contulit omne manus.
Cætera, quæ nequeunt arti parere magistræ,
Quæ, nisi quisq; ipse, pingere nemo potest,
Ipsa RUBELLA mihi corde effigiavit in imò,
Impressans animæ Suavia fixa meæ,
Sic Dominam quôvis circumfero nomine totam,
Extima sub braccis, intima corde gerens.

S U A V I U M XIIX.

Marmorei digiti, manuum par nobile quinum,
Vosq; alabastrividum par, ô utræq; manus,
Sæpè quibus dubii furtim loquitantur amantes.
Oris in ora suam sunt in amore vicem.
Quis putet in vobis tantum latitare furoris,
Quæ tamen ad spectu nil nisi mite datis.
Quum sua fortè meæ fructurus labra RUBELLÆ,
Labra Cytheriacis ebria delitiis,
Ora nimis cupido conor suffigere suctu,
Unaq; sat menti est pangere suaviola,
Surgitis, & totis me contra viribus usæ
Frustratis timidis labra cupidinibus.
Sæpè suis etiam me provocat oribus ora,
Poscit & amplexus me mea VITA meos.

Gau.

Gaudeo. moxq; cupidineos paro circumplexus.
Jamq; mihi videor os tetigisse sacrum.
Nec merus est vestri. ruitis tamen impete saxo,
Osq; insonans trucibus carpitis unguiculis.
Virgineo plus sic abspulsus Marte fathisco.
Tota cadit spebus mens retrojacta suis.
Invidulæ, mea quid sunt vobis suavia noxæ?
Sic licet immeritum vulnificare labrum?
Jamq;, quid in tantas, scio, vos armaverit iras,
Debueram vobis Suavia prima dare.

S U A V I U M XIX.

U T tibi continuò dem jugia Suavia labro,
Expetis immiti, chara R U B E L L A, prece.
Quomodò nam dederim? cùm me, seu deprocul abstem,
Ex oculis feriant fulgura dira tuis.
Sideror, ut grandi calamus levis attremat ictu.
Nec capit insubitas pupula tensa faces.
Ergò voles à me tibi talia Suavia figi,
Qualia vis, petere qualia sola potes,
Deme tuis oculis feralia fulgura, nî me
Sæva voles oculis exoculari tuis.
Aut æterna tegat flammantes palpebra circos,
Scilicet imperio res caret illa gravi.
Sic tibi parenti dabo talia Suavia labrò
Qualia vis, petere qualia sola potes.

S U A V I U M XXI.

N Illego sum sine te; cum te mox omnia fio.
Ilicet es, mea Lux, Omne Nihilq; meum.

SUA.

S U A V I U M XXI.

Ista Suavia, Suavia ista vestra,
 Quæ præ nectare macteisq; cunctis,
 Et quâvis dape, mattiâq; quâvis
 Æstimo magis, & magis petisco,
 Ecquando negitare supplicanti
 Desines, mea VITÆ, quando fiet?
 Cessa, Bella, negare, Bella, cessa,
 Quod nulli negitant amanti amantes.
 Orexī vide sis laboro dira,
 Orexī reputa Sūaviorum,
 Quam tu sola domare, sola quibus.
 Da mihi uvidulis tuis labellis
 Ad justam satiem frui, R U B E L L A.
 Sic semper satiabor osculando,
 Sed nunquam exsatiabor osculando.
 Quin semper satur, esuribo semper
 In summâ satur esuritione.
 Hoc nulli negitant amanti amantes,
 Et hoc tu negites amans amanti?
 Post tot Suavia, & hæc, & ista, & illa,
 Post tot Suavia mille, mille, mille,
 Dij dent semisatur, nec esuritor
 Istis immoriar tuis labellis.
 O quàm Suave foret mihi perire!

S U A V I U M XXII.

Audiat ipse Amor, modò vana queruntur amantes,
 Cor mihi furari Suavia nulla queunt,
 Vix hic fallacem sorbillat ab ore liquorem,
 Quem allevère rudis rustica labra proci,

Mox

Mox clamat: mea Vita, meum mihi corrapuisti!
 Hoc tua nempe valent roscida basiola!
 Fallitur, & fallit, virguncula, credere noli.
 Et jecur, & cordis omne, quod ante, tenet;
 Omne sibi omnis amans vult credi. scilicet hoc est,
 Si vis mendaci credere, crede proco.
 Verba ministrat Amor volitantia. luditur ille,
 Et ludit ficto fictus honore Deus.
 Mirum, basiolis si perdi corda putantur?
 Aspectu rapuit mi mea Vita meum.
 Jam sine me, sine corde meo, sine sensibus erro.
 Personæ veteris mobile schema vagor.
 Quod si fortè meis sua suavior oribus ora,
 Sensa mihi, mihi cor, me redeunte, redit.
 Sic ego, sic cor, sic sensus unita manemus,
 Unitus maneo donec ad ora Deæ.
 Quin unita tamen, quum vellor ab ore, manemus.
 Sic poteram Dominâ totus abire meâ.
 Ast ubi me rursùm fatalibus angit ocellis,
 Sensa mihi, mihi cor, me rapit atq; mihi.
 Denuò, me vacuus, me quæsito, nec prius ad me,
 Ad Dominæ labia quàm redeo, redeo.
 Quid blatiat vâsanus amans. non fallere quibo,
 Cor mihi furari Suavia nulla queunt.
 Cor rapiunt oculi, non Suavia. credite mecum,
 Corda oculi rapiunt, Suavia restituunt.

S U A V I U M XXIII.

ME redama; te primus amo; vel dilige saltem
 Vel modò, si non vis, mi malè velle cave.

E

SUA



S U A V I U M XXIV.

Oscula rorifluis totum stillantia guttis,
 Delicias aliis, sed mihi sœvitia.
 Quid fallendo nimis miserum cruciatis amantem?
 Sponsa negatura solvere Suaviola?
 Tuq; dolorificò scindens me lingua susurrò,
 Lingua medullitrahis viscida glutinibus,
 Quid differs, quod voce dabas, re tradere firmâ?
 Scilicet alternâ, dasq; negasq; fide?
 Ergò negare dare est? date sed modò, quod negitatis.
 Et negitate iterum, mi quod abundè datis.
 Hoc dare sit negitare modò. contentus abibo:
 Quod mihi sat faciet, istud & illud erit.

S U A V I U M XXV.

RUBELLA, quâ post expositius nihil
 Decentiusq; Sol videt,
 Ut illa tracturit favere me tibi
 Nitores elegantia,
 Inebriata tota Gratiis meris:
 Placensq; castimonia;
 Quod unicum magis magisq; te probat.
 Pudica pulera fœmina
 Inusitatò cernitur. nec hæc quidem
 In una millibus datur.
 Decore Cyprin, ore Palladem præis,
 Charinq; moribus refers.
 O alma, si daretur hæc licentia,
 Serenitate cum tuâ,

Ut

Ut illa, quæ subinde melle fascino
 Amor venenat oscula,
 Mihi integrum meo sit ore lambere,
 Et arbitratibus meis
 Modò liceret involare, ceu libet,
 Labella vestra cœlica,
 Nec ulla temporis severitas mali,
 Nec imber, æstus aut gelu,
 Nec expetenda Nox amantibus, nec hoc
 Dies vetaret improbus.
 Gerensq; bella lusitantibus labris,
 Gerensq; bella dentibus,
 Nihil verente talere, tuum sinum
 Protervus inderem manum,
 Lubentiisq; volverem meis eas
 Sororculas papillulas,
 Sed, ô pudica, quid rubes? quid & feris?
 Quid, ô, RUBELLA, diffugis?
 Mane, mane: pudere vocis hinc subit,
 Amor quod extudit mihi.

S U A V I U M XXVI.

Quid me transversis stimulas tam crebiter hircus,
 O nimis elato Diva supercilio?
 Quid, quoties conor propius te cernere, dura
 Me malè-dispositò pollice retrò fugas?
 Ah mihi! quando favent, si sunt cita fulgura ocelli,
 Iratos esse fulmina nōne putas?
 Et si, quum tecum licet esse, animam traho vix vix,
 Non metuis mēme te sine posse mori?



S U A V I U M XXVII.

UT meos vestris oculos ocellis
Blanditer pascam, mea L u x, adesto,
Nec tuum plures aditum proterva
Differ in horas.

Volvitur tempus dubiô rotatu,
Cumq; nos illo. rigidus dietim
Turbo grandescit, tenuis minatur
Rumpere nervus.

Prata gemmatis viduantur herbis,
Quæq; maturâ segetes aristâ
Dulce ridebant, vacuæ quaruntur
Nupera damna.

Jam vibrant ægros sylvæ capillos,
Mox senex floccô rigidus gelatô.
Obruet terras. morietur omnis
Frugifer annus.

Et gravis lentas hyemes senectæ,
Et malos formæ patieris annos.
Ora flaccescent. oculi rubebunt.
Tota senebis.

Dum vegent vires, salit & mamilla
Læva, vivamus, mea V I T A, junctim,
Postq; sed serô, moriamur unâ,
Et tumulemur.

S U A V I U M XXIIIX.

Ex Germanico

O P I T I I,

Ad Patriam R U B E L L E.

OLocus, ô fluviis, gelidôq; tenerrime fonte,
Quò se latificum contulit omne decus.

Quò

Quò cunctæ stabulantur opes. quò dulcia quæq;
Quæ Phaëthon umquam despicit esse bona.
O Urbs! delicioſa domus! Reginaq; murum,
Imperiò præſtans, divitiisq; potens.
Sed mage, quod noſtri genuiſti cordis aſylum,
Cui gazæ nequeunt æquivalere Ditis.
Patria progeniei ignoſcite mœnia veſtræ,
Verna mihi poſt heic civis habere lubet.
Heic mihi poſt placet eſſe domi, cor huc, animumq; huc,
Huc ſolùm poſui reſq; fidesq; meas.
Quod licet haut nullis angar ſub pectore curis,
Te mihi tam carum deſeruiſſe Larem,
Præ tamen illâ ipſam potiùs te linquere malo.
Patria namq; mea eſt, quò mea VITA domi eſt.

S U A V I U M XXIX.

Quid fugis ah! ſemper, vafana R U B E L L A, ſequentem,
Quem tamen haut potis eſ corde fugare tuo?
Illatebravit Amor noſtrum cor fibritùs illuc.
Sic capis in mediâ, quem fugis ipſe fugâ.
Siſte fugam. fugit ipſe, fugis quem, pectore tecum.
Sed fuge. te fugere, dum ſcio, nulla potes.

S U A V I U M XXX.

Amoris Impatientia.

O Amor! ô glacialis Amor! ô lubrica fata!
O nimium fallax virgine nixa fides.
Quæ mea tam blandis allexit pectora viſcis,
Mî malè diflexô pollice dixit: Abi.
Ah merui talem, perjura R U B E L L A, repulſam?
Sic licet in fidum ſævius ire caput?

E 3

Quid

Quid crucior? moriar! certam duplicat mora mortem.
Chara venit misero gratia, posse mori.
In lacrymas frustra, torrentior anme, resolvor.
Submergar lacrymis protinùs ipse meis.
Quid juvat infidis suspiria credere ventis;
Fluxilis ah animam ventilet aura meam.
Mille modis morior. tamen haut exstinguor in illis.
Sic spissâ lentas transeo morte neces.
At **D E A**, quâ sine nec morior, nec vivere possum,
Redde mihi vitæ libera jura meæ.
Aut mecum morere: aut crudelem de jice mentem.
Vivere si sine te debeo, malo mori.

S U A V I U M . X X X I .

R U B E L L A, pulcritudinis coagulum universæ,
Referta pixis enthei fragrantia pudoris,
Madulsa nectaris meri, nitoris officina.
Medulla castimonie, placentie specillum,
Amussis Aphrodisie, Cupidinum theatrum,
Cor omnis elegantie, jecurq; Gratiarum:
Tibi Juventa virgines per ora pingit annos,
Ut educata vernulô Favonij tepore,
Nivale simplici caput rubore temperatum
Rosa explicat; velut puti favoris illecebra
Serena Bellis igneô superbit in corymbo:
Labella sic corallinô cruore vulnerata
Genæq; discoloribus repurpurant capillis.
O ampla gaza prodigi faventis Olympi,
R U B E L L A, quò tuô rapis nitore fideratum?
Licbriatus evolo tuæ madore laudis,

ut

Ut impedita crapulâ gravi Parens Amorum
Remissa crura vix trahens, labella semipanfa
Repente cum natatili sonô sopore linquit.

S U A V I U M XXXI.

DE SERTO RUBELLÆ,

Ex Sarbievio.

Ipsa Corona Rosa est CHARITI? CHARIS anné Coronæ
Ipsa Rosa est? CHARIS est ipsa Corona Rosæ.

S U A V I U M XXXII.

RUBELLÆ Capilli.

Viderat ut Dominæ Zephyros in crine jocantes,
Confusisq; auram luxuriare comis.

Quale tremit pinus summis agitata capillis;

Quale seges lubricis nictat Etesiolis.

Travolat, & nitidam vellens ait Ida capronam:

Comptior hæc poterat, pulcrior esse nequit.

S U A V I U M XXXIII.

In eisdem.

Aureoli radii, rutilos quos dædalus ignes
Spargere de fulvô vertice jussit Amor.

Qualiter ostrinis gemmans Tithonia malis.

Fulgurat Eoo gurgite mane novum.

Vos maturatô semper flavetis annictu.

Heic calet Æstates Bruma medimna mieras.

Scilicet ut patulos non notô semine campos

Cypria virginæ severat occipitis,

Cresci

Crescite, perq; annum benè maturescite totum,
Vos decor æternus concomitetur, ait.
Dixerat, & tepidas halabat ab oribus auras,
Qualiter à Zephyris mollibus aura tremit.
Has puer in vitreas mirans concrefcere guttas,
Gemmatum Dominæ dum videt effe caput,
Aurea cum clarò solvebat labra cachinnò:
O Dea, splendidulæ fructus hic esto comæ.
Hos procus uvidulò Dominæ de vertice lingit,
Cùm premit irriguis Suavia fera comis.
Lucidulæ, rores mihi non negitate potentes,
Quod vestros ignes temperat, humor habet.

S U A V I U M XXXIV.

Lux tua purpureus color obsidet ora genasq;,
Ille sed est gelidi fontica caussa mei.

S U A V I U M XXXV.

Oculi RUBELLÆ.

Mortale fidus, terreum duplex astrum,
Flammivolæ faculæ,
Gemella cristalli vitra,
Sororium par lucis, aurei frontis
Marmoreæ vigiles;
Si vera promulgat Medens,
Obrutuiq; iudici fides credit,
Discolor estis aqua,
Princeps voluta lucidis
Tot lympa valvis, efficax fluor, puras
Transradians tunicas.
Sed quas flagrare tum Pharos?

Quos

Quos cerno scintillare flammeos ignes,
Vos ubi contuitu
Tenace lústro, Pupulæ?
Salvete, versæ gens amica Naturæ,
Quoi Elementa peremptô —
— Hostes amicat jurgiô.

S U A V I U M XXXVI.

Diva tace, seu docta fides percurris eburnas,
Seu canis argutô gutture; Diva tace.
Plus tua me magicô corrumpit gutture lingua,
Excantant animum fascino verba meum.
Quis putet? in blandis acor est concentibus æger,
Sic aloâ miscet sacchara scævus Amor.
Desine, dilanior cruciabilitatibus atris.
Hæc mela sunt animæ carnificina meæ,
Intereâ fuscum singultans carmen hiulco,
Et bibulis lacrymis ora genasq; rigo.
O ego si lacrymis te sic movisse valerem,
Ceu me per modulos conficis, I D A, tuos!

S U A V I U M XXXVII.

Lux, ebur Attalicum vincunt tua colla nitorem;
Pectora sunt Scythicâ candidiora nive.
Scilicet illa tuis respondent omina sensis;
Durius ah ebore es, frigidiorq; nive.

S U A V I U M XXXIIX.

O Animæ anima meræ meæ,
Cui valeo benè, cui malè pereò,
F

Es

Es ubi bona, benè mihi fit;
Ubi mala, malè gemo, miserè crucior.
Gemina gena, gemini oculi,
Labiola gemina, gemina brachiola,
Gemina nitidivida manus,
Niveola, rigidula, lepiditumida,
Gravidula gemina papula,
Duplicia mihi mala, bona duplicia,
Prout ea bona malavè sunt,
Ubi vagor, ubi lateo, ubi edo, ubi bibo,
Ubi lacrymor, ubi taceo,
Ubi cubitum eo, ubi revigilo, pariunt.

S U A V I U M XXXIX.

ECquid mendaci, refractò schemate, vitro
Credis; in adpectus officiosa tuos?
Sit tibi non tanti est fallaci fidere formæ,
PANCHARIS, his oculis te specularare meis.

S U A V I U M XL.

Qualis, cum medios emensus Cynthius orbes,
Subterjacentes despicit
Marmor &, & terras, volucremq; citatior urget:
Loris Quadrigam flammeis,
Et, radios contrà refractos sævior, igneam
Polò meridiem jacet;
Virgo minora furenti opponens lumina Phæbo.
Audace lustrat pupulâ,
Degener in liquidas oculus fluit undiq; ripas,
Hirci q; lacrymis pluunt.

Sic

Sic tua vicinò cùm lumina contuor ausu,
 Ab efficacibus rogis
 Obtenebror, validoq; oculis excitus ab igne
 Amarus emanat latex.
 O mea quàm largis distinguitis imbribus ora,
 Crudæ doloris filix!
 Stringuite proh! flammæ, Lacrymæ; Lacrymasvé po-
 tenter,
 O flamma fortis, ebibe!

S U A V I U M XLI.

FRigeo, sudo simul; gemo, rideo; concido, substo;
 Languedo, convaleo; somnio, sterto vigil;
 Demorior, redeo. jugi vertigine gyror.
 Autor tam varij turbinis una **C H A R I S.**

S U A V I U M XLII.

M Arspiter omni	Vulnere mitis
Sæviti in orbe;	Usq; triumphat.
Sæviti in orbe	Fare, RUBELLA,
Cypripor omni,	Cui damus horum
Ille sarissis,	Nomina nostra?
Iste sagittis,	Trux scatet atrâ
Fulminis ambo	Morte Gradivus:
Ignepotentes,	Sorte Cupido
Ille tonitru,	Dux fuit amplâ.
Hic oculorum.	Mors ibi certa.
Fare, RUBELLA,	Heic mera vita,
Cui damus horum	Fare, RUBELLA,
Nomina nostra?	Cui damus horum
Usq; triumphat	Nomina nostra?
Vulnere crudus	Anne Gradivo?
Ille mucronis:	Fare, RUBELLA!
Hic labiorum	F a. S U A

S U A V I U M XLIII.

Merace Jambe, Cæcubis meracior meracis,
 Nitente delicatior Cuniculi cucullô,
 Glabri fluente lævior cuticulâ Scicuri,
 Et anseris tenellulâ venustior medullâ,
 Genij madulsa Douzici; Madulsa Barthiani,
 Amorq; primus Heinsia Venusq; prima laudis;
 Cui per impares gradus Cupidines jocosi,
 Lenesq; Gratia exprobrant, pedesq; claudicantis
 Favis pluunt Hymettijs, & Evijs salivâ.
 Jambe pure, purimis super nivemq; claris
 Venustulæ manusculis adæmulus puellæ,
 Beryllinisq; concolor labellulis R U B E L L Æ,
 Adesto, solitudinis levamen hujus unum,
 Videre dum meam diu nimis vector Salutem;
 Abi, meamq; millibus salutibus Salutem
 Revise; sive patrios thymum legat per hortos;
 Domivé pingat aureas acu valente telas;
 Vel involuta fessulos torô reclinet artus,
 Peculiare suaviter meridians grabato.
 Abi rediq; millies, sublatus & revectus
 Volucris jocantium rotis Etesiarum.

S U A V I U M XLIV.

Nexuit hos mea Lux crinali vimine scirrhos,
 Incinxitq; meis crinibus ipsa suos.
 Scilicet augustô non deficit omine factum;
 Sic ero captivus illius, illa mei.

S U A V I U M XLV.

Jamq; sat, puto, sat suaviatum est.
 Et quid Suavia, quid juvant amantes,

Sola

Sola Suavia, Suavia æviterna?
Aut quid sunt ea Suavia æviterna?
Dapes Tantalex Midæq; gaza,
Quæ lentas modò commovent salivas,
Nec pacant animum, nec œsophagum.
Sic sunt Suavia, si negatur illud,
Præ quo Suavia suavia haut vocanda,
Præ quo non mage Suavitas suavis,
Hæc præludia sunt Suavitatum,
Quas præ Suaviolis amant Puellæ;
Quas præ Suaviolis petunt Puelli.
Biga vinula, melliplena Biga,
Vos non degener ille, cæcus ille
Sauciavit Amor, nec indecenti
Cypris profeda vulneravit ictu.
Non fraus callida, non libido spurca,
Quæ mentes furians levis Juventæ,
Cogit tramite deviare justò.
Sed mens ingenui tenax pudoris,
Et parere De i parata pacto,
Jamq; Sponse novelle, ter venuste,
Jam cuncti tibi Dij favent Deæq;
Jam licet, licuit quod ante numquam.
Jamq; Sponsa novella, ter venusta,
Et cuncti tibi Dij favent Deæq;
Et tibi, licuit quod ante numquam,
Jam licet, magis atq; post licebit,
Quod tutò teneris licet Maritis,
Quot sibi Juvenes, quod & Puellæ
Noctes atq; dies imaginantur;
Quod vix vix jocoseri Phaleuci

F 3

Aude



Audebunt poteruntvé vulgitare.
Istud nempe, quod ex procis Maritos,
Liberisq; novos facit Parentes,
Ite vinula Biga, Biga casta,
Parentum decus, & decus Nepotum,
O vestra nihil, ô deeste parti,
Nec vos fallere spes decet Nepotum,
Nec tot vota Patrumq; Patriæq;
Illa Suavia, Suavia illa casta,
Tot suspiria pura gaudiorum
Et fervens genialis ille lecti
Omni crimine liber appetitus,
Vobis Pignora, Patriæq; Cives
Non vanô meditantur auguratu.

D I T H Y R A M B U S,

I N P O M P A N U P T I A L I.

Nunc juvet, Thaleia, doctô
Notiemur in recessu,
Quà per arva, quà per hortos
Garriens anfractuosis
Plissa naufragatur undis,
Quà Roseta perlabascit amne purô Lipsica,
Huc veni nutante festam
Impedita fronde frontem.
Cinge zonam, fume foccum,
Atq; tota nuptiales
Imitata veste pompas
Enite conchyliatis undiquaq; supparis.

Lin-

Linque Pymplam, linque Phœbum,
Mitte bis quater Sorores.
Parce, Virgo, Flaccianâ
Temperare lege chordas.
Pendeant ad tempus uncô
Curiosa diligentis plectra Sarbievij.
Blandiora delicati
Sistranos decent Catulli.
Sponte fusos, arte nullâ
Dithyrambus optat hymnos,
Cujus argutum canorâ
Voce saltum, prata cujus ore personabimus.
Ergò dum decliviori
Libra pendit lance Solem;
Dum novercalis Novembreis
Scorpius remordet horas;
Dum Sagittator, senentis
Canus imperator Anni, lora frænat Tempori.
Insolenter aura vernô
Spirat Auctumnalis ore.
Lene confusi Britannis
Tortiles Apeliotis
Stridulis illimis æthræ —
— Eremigant alis apertas tramites Favonii.
Ut tepentis aura Maji
Cespitantes crispant undas;
Sic maritandis Elyster,
Obvius Plissæ fluentis,
Ore corrivatur udô
Mille gerris, mille mansis colloquens singultibus.

Vitre-

Vitreum cacuminosa
Verrit alnus fronde coelum,
Ornus Ornum complicatis
Osculatur in racemis.
Omnis arbor, tota sylva
Inquieta tertiatis nupturit suspiriis,
Lubricum reverberatus
Cespitem cespes flagellat.
Saltus omnis, cuncta rura
Tinnulis Etesiarum
Perstrepunt late cachinnis.
Tota nil Novembre spirat Universi machina.
Ille fortis, æquus ille
Fulminantis Prætor aulae;
Arbiter Deus Deorum;
Ille suavis ille blandus
Pusionum dux Amorum;
Ille nanorum pusillus signifer Cupidinum,
Qua sepultas Indiano
Ponit unione plantas,
Ilicet venustat omnem
Viva Chloris officinam,
Ilicet tellure rumpit
Mille culmis, mille bulbis, mille Flora floribus,
Hinc amasius pudentes
Albicat Narcissus niter
Anemonas, inde fulvò
Fulgurat crocus galerò
Inde calthæ nupta bellis.
Inde ridet omne pictis purpurans tapetiis.

Ipsè

Ipsē totus invidendō
Sericatus ardet ostrō,
Totus adspici serenus;
Dum rubrō prognata conō
Crista surgit, dum jubarum
Margines tumultuosis ventilantur Africis.
Nunc jocatur, nunc cachinnat.
Nunc potervā gestientem
Calce lætus tundit oram,
Nunc volucres spontè flexâ
Cuspides ferit catejâ,
Vulnerans resibilantem clara gesis ætheram.
Ponè pumilum novellas
Ludis inter agmen herbas,
Ipsa ponè fusa circum
Mille turmis Gaudiorum,
Ludiorum mille castris,
Alites adurget albas tot Parens Infantium.
Sponse, prodi, belle Sponse,
Quō verecundæ Sorores
Doctius nil arbitrantur;
Sponsa, prodi, bella Sponsa,
Una rari norma pulcri,
Ipsa qua nihil Venustas prædicat venustius,
Cernuus vobis vequentem
Annus induit juventam.
Illa vobis spirat aura,
Ille canas congelatis
Myitacas vobis pruinae
Eurus abradit resumptâ Veris almi forpice.

G

Flori.

Floricondas fauce pictâ
Æolus ructat pruinas,
Alba canentis ligustra
Depluunt ab ore Cauri,
Ocimisq; pro procellâ,
Proq; nimbô rorulentis ningit Auster liliis,
Ite, quâ jucunda pulcher
Castra metatur Cupido;
Militat quâ pumilorum
Imperatrix filiorum;
Ite, quâ superba vestræ
Consecrata dignitati dismicant tentoria,
Quâm supinâ copulandis
Calce fluctuant Amores!
Ut rubentes fronte pronâ
Excipit Diona Sponsos;
Ut volentes arte notâ
Federans dextras mariti jura cedit ordinis,
Sudus acta ludibundæ
Vultus approbavit æthræ,
Rore pota, rore cœli,
Stridulo fritinnit ore
Lubricum cicada carmen.
Dij per arva, Dij per auras grex hiulcat alitum,
Currit applausum natatrix
Amne collisu petrarum
Nais eloquentiore.
Gaudiorum, Ludiorum,
Pusionum vulgus omne
Mutuis aggratulantur basiationibus,

Filiis

Filias Empanda dives
 Messis hornæ fort placentas,
 Expedit Pomona frugas.
 Euchyus subpurpurantes
 Dividit maturus uvas.
 Quà videtis, stat refertô plena Cornu Copiâ,
 It jocantis aura venti
 Per vireta, per roseta,
 Atq; lascivo remordet
 Supplicantes ore flores.
 Quaq; panditur cubile,
 Spargit omne santolinâ, spargit omne tulipis.
 Jamq; sat diu morantem
 Pellit Hesperugo Solem.
 Fessulæ fuscantur auræ.
 Candidata noctilucum
 Ordinat Reginæ vulgus.
 Prona scintillat serenæ Nox ubiq; crinibus,
 Susatensis fidus oræ,
 Magne Galeni Nepotum;
 Lipsiæ corona pubis,
 Strenui Propago Baldi:
 Par pudicum, par venustum,
 Par, quod æquales maritant jugiter Lubentiæ,
 Itis, & vobis dicatam
 Ocupatis ambo noctem.
 Interim, quod expedibit
 Atq; vobis, atq; vestris,
 Quod negatis, atq; vultis,
 Siderale, sed latenter, temperat synedrium,

I N S T R A B O N E M.

Q U ò d malè iudiciu[m] fers, est d[is]tortio visus.
L U S C E, oculò ut cernis, sic tua puncta cadunt.

I. N. THOMING.


F I N I S.

L I P S I Æ,

Prostat apud ELIAM REHEFELD,
Excudebant hered. FRIDERICI LANCKISCH.

ANNO M. DC. XX XI.





Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118



Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindermeister
Morseburg a. S.

VDA 7



